

praesens non est, annon hoc est determinare locum et tempus praesentiae? Aperiat Deus illis oculos. Iudicant igitur nunc prudentes, an recte traducamur ad plebem, nos de absurdo rationis pugnare. Praeliamur de gloria et veritate naturae humanae in Filio Dei, vt sine dubitatione statuere possimus, carnem nostram colloquatam esse ad dextram Dei eamque regnare in arcana luce Dei sine vlla conuersione aut mutatione vnus naturae in alteram, cui carni in hac vita fide per Spiritum [68:] sanctum glutinamur realiter et substantialiter tanquam membra capiti, quem deinde ἀρχηγὸν nostrae salutis in resuscitatione mortuorum oculis etiam corporalibus contuebimur, quem etiam coram audiemus in coetu beatorum hominum et angelorum de sapientia et voluntate aeterni Patris et de suis beneficiis disserere. Imo in quo conspiciemus tanquam in perfecta imagine lucere integram ideam sapientiae et bonitatis diuinae atque causas et consilia omnium mirabilium operum intelligemus viuentes vita beata, aeterna et gloriosa. Ad hunc nostrum mediatorem, cum sciamus nos esse carnem ex carne ipsius et os de ossibus eius, laeti accedimus, fide petentes et expectantes vitam et gloriam, quae in ipsius corpore fulget. Neque hanc dulcissimam consolationem nobis eripi patimur somniis enthusiastarum aut aliorum, qui Christo corpus toto genere a nostro diuersum circundant.

III. Moueat praeterea omnes pios consideratio horrendae profanationis, quae hinc extruitur et stabilitur, vt ab istis alienis et periculosis interpretationibus abhorreant. Opinio sacrificij et oblationis in coena pro viuus et mortuis primum in causa fuit, vt ipsa caeremonia in numen verteretur posita vero praesentia illa reali vel veri corporis, non difficile est abusus istos omnes excusare et defendere. Et profecto, qui inter pontificios sunt callidiores, intelligunt valde speciosos hinc depromi pro sua causa colores, sicut ostendunt historiae superiorum annorum, quando lites motae sunt de sacrificio missae. Recte a nostris reicitur oblatio et applicatio per opus sacerdotis in missa pontificia, propterea, quod nullus cultus instituendus est sine mandato euangelij et quod ista prophanatio coenae pugnet cum natura et institutione sacramenti. Sed quid si prudentes inter aduersarios vt certe faciunt excipiant hoc pacto: An non vestra sententia de praesentia veri corporis ista omnia stabilit? Deducatur hoc. Primum, mandatum generale est sine vlla dubitatione, vt persona Christi adoretur. Iam si in illa actione praesens est et substantialiter [69:] adest Filius Dei secundum vtramque naturam, diuinam et humanam, non dubium est illi tribuendum esse honorem inuocationis.

Hic pars nobis aduersa diducitur in duas sectas. Quidam enim aperte fatentur aut necessariam esse adorationem in summentibus et spectantibus aut saltem liberam. Ideo proponunt tales formas: „Iesu Christe, qui cum pane et vino substantialiter praesens es et summenti tuum corpus et sanguinem exhibes, inuoco te.“ Atque hi certe ingenue agunt. Vident enim se non posse euadere. Sed sunt alij paulo cautiore, illi tergiuersantur et in miras sese transformant